



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno Christi 888. Usque Ad Annum 1000

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1761**

**VD18 90117921**

§. 18. Henrici Aucupis obitus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66313](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66313)

Sæculum X.  
A. C. 936.

§. XVIII.

*Henrici Aucupis obitus.*

*Regin. Cont.* **I**nter hæc novum Dominum sortita e-  
*934. Herm.* rat Germania, Henrico Aucupe, post-  
*Marian. &c.* quam imperasset annis septendecim, in  
*Witiq. l. I.* Sabbato, secunda die Julii, anno nongen-  
 tesimo trigesimo sexto, fatis functo. Is  
 elapso abhinc biennio insignem de Hun-  
 garis reportaverat victoriam, quam Ger-  
 mani ipsius pietati a Cœlo datam credi-  
 derunt; namque priusquam Barbaris  
 bellum indiceret, ut se a tributo annuo,  
 quod pendebat, liberaret, populo ad con-  
 cionem vocato, *Hucusque*, inquit, *vos &*  
*liberos vestros rebus omnibus spoliavi,*  
*quibus Hungarorum avaritiam explerem.*  
*Jam vero, vobis nihil habentibus, Ec-*  
*clesiis thesauros, earumque Ministris*  
*Bona, quibus vitam sustentant, eripere*  
*cogor. Quid consilii mihi suggeritis?*  
*an aurum Deo sacrum rapiam, & tra-*  
*dam hostibus ejus, quo nos de barbaro-*  
*rum manibus redimam? an libertatem a*  
*solo Deo expectabimus?* Exclamavit po-  
 pulus, a solo Deo se Salutem suam spe-  
 rare, & levatis in cælum manibus jura-  
 bat, operam se, quamcunque posset, ad  
 hoc bellum collaturum. Ergo solita  
 pensio Hungaris denegatur, cumque in  
 Saxoniam & Thuringiam irrupissent, ubi-  
 que profligantur. Tum Henricus pec-  
 cuniam,

cuniam, quæ hostibus danda fuisset, ad Sæculum X.  
 Cultum Divinum & alendos pauperes A. C. 936.  
 impendit.

In Vexillo principe, quod Regi Henrico in hostium turmas ruenti præferbatur, nomen & imago cujusdam Angeli conspiciebatur. Præterea Rex spem præcipuam ponebat in quadam lancea, quæ Constantini Magni olim fuisse dicebatur, Domini nostri Salvatoris clavis in forma Crucis infixis ornato. Hanc Lanceam Rudolphus II. Rex Burgundiæ habebat, a quo cum eam Rex Henricus postulari jussisset, oblato maximo pretio, ille respondit, nunquam se commissurum, ut carissimum pignus e suis manibus dimitteret. Verum Henrico cominante, se regnum ejus totum igne ferroque vastaturum, flecti se passus est, & Henricus tanto thesauro accepto lætus dona aurea argenteaque pretiosissima & non modicam Sueviæ partem, mercedis loco, Rudolpho dedit.

## §. XIX.

*Ecclesiæ Septentrionis.*

Henricus Rex ad convertendos etiam Infideles egregiam navavit operam; ipsius enim cura quidam Rex Abodritarum, & alius Danorum seu Normannorum baptizati sunt. Regem Gurmium, Reg. Conti an. 931.  
 hostem illum Christianorum infensissimum,